

TH. LIII.

Ascendentes concurrentes cum fratrum prædefunctorum liberis ipsi succedunt in capita, fratrum vero liberi in stirpes.

TH. LIV.

Jus Repræsentationis ultra fratrum liberos in linea collateralis non extenditur.

TH. LV.

Parentes adoptivi extranei non succedunt filio adoptato, sed ii, qui in potestate cum habuerunt.

TH. LVI.

Illegitimi Parentes eodem modo liberis, quo his liberi succedunt. Quod & in legitimatis custoditur.

TH. LVII.

Si defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, fratres & sorores & præfunctorum filii ex eodem patre & ex eadem matre nati ad successionem vocantur. *N. 118. c. 3.*

TH. LVIII.

Ita quidem, ut utrinque conjuncti soli secundi gradus succedunt in capita, seu viriles portiones, cum fratrum vero filiis in stirpes, & si hi etiam soli sunt, succedunt in capita dict. *Nov. 118. c. 3.*

TH. LIX.

Fratribus & sororibus utrinque conjunctis eorumque liberis non extantibus; fratres & sorores unilaterales & eorum liberi, ubi soli, in capita; concurrentes cum prædefunctorum fratrum liberis, in stirpes succedunt, in omnia defuncti bona, sive ea paterna sint, sive materna.

TH. LX.

Fratres legitimati per subsequens matrimonium eodem modo succedunt. Adoptivi vero non aliter, quam si ab ascendente adoptati, aut si arrogati. *Nov. 12. cap. ult. in fin.*

TH. LXI.

Naturales, si ex diversis concubinis, eodem autem patre, nati sint, non succedunt sibi invicem: Sin ex eadem concubina, secus est, sive soli, sive cum legitimis & naturalibus concurrant. *l. 2. §. Itaque. & l. si Spurius. 4. ff. unde cognat.*

TH. LXII.

Spurii ex eadem matre nati sibi mutuo, incestuosi & similes ex damnato coitu editi, plane sibi non succedunt. *arg. Nov. 89. c. fin.*

TH. LXIII.

His omnibus deficientibus; reliqui cognati secundum prærogativam